 aeclesiae', de qua scribtum est SPECIOSI OCVLI TVI SICVT COLVMBAE, et
 iterum noster apostolus Paulus dicit de ea NON HABENS MACVLAM AVT
 RVGAM AVT ALIQUID HVIVSMODI: huius perspicuus et spiritalis fuerat
 35 uirus.

7. fol. 86 b et aevo . . . portabat (l. 9) : lineae codicis tres deficiunt in ed Rom
 euo V 10. seminibus . . . sed in : om per homoeoarcton? ed Rom 12. pre-
 cipua V 14. suscipere V : fortasse legendum suscipi se recusabit V 17. que V
 18. estmahel V, cf. Istrahel pro Israhel : et ismael ed Rom 21. fol. 87 a
 22. reueccam V 24. superauit V 25. hoc : haec ut uid V; nisi malis haec
 . . . memorauimus, 31. infidelibus scripti cum ed Rom : infidelis V sepe V

8. Gen. xvii 16-21 [Cypr.] de montibus Sina et Sion 3 (app. 106. 21) 'Isaac
 . . . typum in se portabat Christi' 9. Gen. xxii 18 10. Gal. iii 16
 16. terrena ciuitas: libros S. Augustini de ciuitate Dei respicit noster? 17. Gal. iv 26
 19. Matt. xx 16 etc 20. Deut xxviii 44 : Cypr. Test. i 11 22. Gen. xxv 23 :
 Cypr. Test. i 19; [Cypr.] de montibus 3 24. Mal. i 2, 3, Rom. ix 13 : de
 montibus 6 25. Cf. I 28-33 supra 27. Gen. xxix 16, 17 Cypr. Test. i 20
 'Iacob accepit uxores duas, maiorem Liam oculis infirmioribus typum synagogae,
 minorem speciosam Rachel typum ecclesiae' 31. [Cypr.] de montibus 3 'Rebecca
 figuram portat ecclesiae' 32. Cant. i 15 33. Eph. v 27

Nam et illud quod in mysterio loquitur apostolus, intellege | quam populo christiano conueniat : PRIMVS inquit HOMO DE TERRA TERRENVS, SECUNDVS VERO HOMO DE CAELO CAELESTIS ; QVALIS TERRENVS TALES ET TERREN, ET QVALIS CAELESTIS TALES ET CAELESTES. et lex secundum litteram a uobis accipitur, a nobis uero secundum spiritum quia LITTERA 40 OCCIDIT SPIRITVS AVTEM VIVIFICAT. Moyses namque (quod commemorauimus) accipiens priores tabulas confractas proiecit, ideo ut ostenderet uestrum lapideum cor confractum et reprobatum, christianorum uero diuinis legibus aptum adque seruandum. unde dicit scribtura de christiano populo QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS CONSCRIBTVM IN CORDIBVS 45 SVIS. cognoscens omnia haec, et ex lege et prophetis adhuc maiora considerans, sanctus apostolus Paulus separauit se a uobis, nec IVGVM CVM INFIDELIBVS ducere uoluit, quia non est SOCIETAS LVMINI AD TENEBRAS nec PARS FIDELI CVM INFIDEILI. conuertit se ad Christum, maxime quia ab eo erat | admonitus ut ab incredulitatis furore discederet, nec 50 populum christianum ultra uxaret. tradidit se ergo Christo ut non iam sub Caesare sed sub Christo uiueret rege.

VI. Sed dicunt Iudei ‘Nos circumcisionem habemus pro signo salutis’. quibus dicimus : Si circumcisionem dicitis signum esse salutis, ergo feminae *aput* uos non habent signum salutis ; *aput* nos autem in signo Domini omnes pariter masculi feminaeque signantur. in signo Domini signamur in fronte SVPER DVOS POSTES DE SANGVINE AGNI DEI 5 QVI TOLLIT PECCATA MVNDI.

De quo iam tunc in lege fuerat scribtum quod in sancto aeuangelio completum esse dinoscitur, quando clamabatis dicentes SANGVIS EIVS SVPER NOS ET SVPER FILIOS NOSTROS: sed nobis haec salubriter competit dicere ‘Sanguis eius super nos et super filios nostros’ ; uobis ad condemnationem, nobis uero ad salutem, quia alio uos proposito, alio nos dicimus intellectu, uos furendo nos orando, | uos insultando *nos* suppliciter postulando, uos *ex odio* nos ex amore, uos VT TRISTES nos autem VT SEMPER GAVDENTES. uos latronem elegistis, quia OMNIS ANIMAL ad SIBI SIMILE conuertitur ; nos Dominum elegimus, immo 15

36. fol. 87 b 39. terreni : terrenus V secundum V : *praem* quae ed Rom
40. a uobis V : *om ed Rom* a nobis . . . littera : *om ed Rom* 41. spiritus :
spiritum V namque quod V : nam ut ed Rom 44. seruandum : cf. I 49 reseruat
47. separabit V 50. fol. 88 a ab incredulitatis . . . non habent (VI 3) : octo
codicis linearum uix hic et illic uestigia pauca retinet ed Rom

VI. i. iudei V 3. femine V 4. in V : *om ed Rom* 12. fol. 88 b
13. suppliciter V 14. omnis . . . simile *ut uid* V dominum . . . quia V : domino
elegimus seruire nos ergo, inquit apostolus ed Rom

37. I Cor. xv 47, 48 40. 2 Cor. iii 6 41. Cf. I 39 supra 45. Rom. ii 15
47. 2 Cor. vi 14, 15

VI. 3. Cf. Cypr. Test. i 8 illud signaculum feminis non proficit, signo autem Domini omnes signantur 5. Exod. xii 7, Io. i 29 8. Matt. xxvii 25
13. 2 Cor. vi 10 14. Matt. xxvii 21, 22 etc Eccl. xiii 15 (19)

magis Dominus nos elegit, quia DOMINI SVMVS. uos secuti estis latronem Domino inproperantem, nos secuti sumus latronem Dominum adorantem et confitentem in crucem: DOMINE inquit MEMOR ESTO MEI CVM VENERIS IN REGNVM TVVM, cui Dominus ait AMEN DICO TIBI,
 20 HODIE MECVM ERIS IN PARADISSO. o beatum istum latronem, qui tantam repente meruit sanitatem et sub ipsa morte transiuit ad lucem: et isti duo latrones, unus uestram alter nostram ostendebat imaginem.

Occidistis Dominum, et gratulamini: occidistis quidem, sed non occidistis tamen; occidistis uoluntate, sed non occidistis in ueritate,
 25 quia CHRISTVS IN^{*} AETERNV M ANET. iacuit quidem corpus | in monumento, sed Christus regnabat in caelo; non enim poterat includere modica petra totius Dominum creaturae et omnia in manu tenebantem, iacebat ergo in modica illa petra, sed totam tenebat undique creaturam, quia de ipso propheta dicebat IN MANV EIVS OMNES FINES TERRAE, et
 30 PATER DILIGIT FILIVM ET OMNIA DEDIT IN MANV EIVS. si enim anima non includitur in monumento cum corpore, multo magis diuinitas includi non potuit. ergo uiuit Christus in aeternum, sicut et sanctus angelus Gabriel dicebat ad gloriosam Mariam REGNABIT IN DOMO IACOB IN AETERNV ET REGNI EIVS NON ERIT FINIS.

VII. Et septuagesimo primo psalmo de ipso dicitur ORIETVR IN DIEBVS EIVS IVSTITIA ET ABVNDANTIA PACIS: quando dicebat QVI TE PERCVSSERIT IN MAXILLAM, PRAEIBE ILLI ET ALTERAM; ET QVI VVLTECVM IVDICIO CONTENDERE ET TVNICAM TVAM TOLLERE, DIMITTE ILLI
 5 ET PALLEV M, quid IVSTIVS quid utilius quam inpatientem patientia | superare, et damnis potius uincere quam lucrando peccare? et multa sunt praecepta IVSTITIAE Domini saluatoris in sancto aeuangelio designata. et ne longum sit totum dicere, post aliquanta sequitur
 ET ABVNDANTIA PACIS DONEC EXTOLLATVR LVNA. ABVNDANTIA PACIS,
 10 quia ipse est fons purissimus pacis, in quo nullae sunt turbulentae lites, nulla amaritudo malitia, sed omnis plenitudo dulcedinis omnisque tranquillitas bonitatis (de isto ipse David propheta alio dicebat in loco GVSTATE ET VIDETE QVONIAM SVAVIS EST DOMINVS, BEATVS VIR QVI

18. inquit memor esto V: memento ed Rom 20. istum . . . isti (l. 22) V:
 ipsum . . . ipsi ed Rom 21. sanitatem V: sanctitatem ed Rom 25. fol. 89^a
 27. modica petra . . . si enim anima (l. 30): septem codicis linearum nullum remanet
 uestigium in ed Rom 32. poterat ed Rom 33. regnauit V

VII. 3. maxillam V: praem dextram ed Rom prebe V qui V: praem ei
 ed Rom 6. fol. 89^b uincere V ut uid: opprimi ed Rom et multa sunt
 conieci: sunt enim ed Rom 9. extollatur (cf. l. 23) V ut uid: auferatur ed Rom
 10. turbulente V

16. Rom. xiv 8 17. Luc. xxiii 39-43 25. Io. xii 34 29. Ps. xciv (xcv) 4

30. Io. iii 35 33. Luc. i 33

VII. 1. Ps. lxxi (lxxii) 7 2. Matt. v 39, 40 13. Ps. xxxiii (xxxiv) 9 (8)

SPERAT IN EVM), quia Dominus dicebat PACEM MEAM DO VOBIS, PACEM MEAM RELINQVO VOBIS, IN HOC enim SCIENT OMNES HOMINES QVOD 15 DISCIPVL MEI ESTIS SI INVICEM DILIGATIS. et iterum dicebat BEATI PACIFICI QVONIAM IPSI FILII DEI VOCABVNTVR, BEATI PAVPERES SPIRITV QVONIAM IPSORVM EST REGNV M CAELORVM, ET ABVNDANTIA inquit | PACIS DONEC EXTOLLATVR LVNA: LVNA

nefastam

tenebrarum dissipat noctem adque luce claritatis serena luna 20 dicitur aeclesia, uel quia crescit adque decrescit tempore pacis uel persecutionis: crescit credentium lucris, et aliquando, ut diximus, tenebratur cum persecutione multi uexantur, sed postmodum EXTOLLITVR et erigitur cum ad caelestia regna, Domino auxiliante, perducitur. sequitur in psalmo ET DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE ET 25 A FLVMINIBVS VSQVE AD TERMINOS ORBIS TERRAE, hoc est per uniuersas gentes et per totum mundum, qua se longe lateque diffusus oceani ambitus dicit, et omnium terrarum fines includit. sequitur IN CONSPPECTV EIVS PROCIDENT ETHIOPIES ET INIMICI EIVS TERRAM LINGENT. ETHIOPIES illi sunt spiritus tenebrarum, qui IN CONSPPECTV 30 Domini, id est in aduentu eius, turbati |

INIMICI inquit EIVS TERRAM LINGENT: ipsi serpentes qui lubricis gressibus prouoluti duplicito adque contracto corpore in terra uoluntur et uelut lassi adque fatigati non iam sedere, sed lambere TERRAM dicuntur; quomodo et isti *Iudaei* TERRAM lambiunt, hoc est terrenam 35 litteram et carnalem astutiam diligunt, spiritalem uero gratiam non requirunt. sequitur in psalmo REGES TARSIS ET INSVLAE MVNERA OFFERVNT, REGES ARABVM ET SABA DONA ADDVCVNT, oriens et occidens; quod manifestatum est denuo in sancto aeuangelio, quando MAGI VENERVNT portantes MVNERA, AVRVM TVS ET MVRRA, AVRVM offerentes 40 ut regi praetiosam fidem, TVS suave sacrificium laudis ut Deo, MVRRA ad indicium | et obsequium sepulturae. item AVRVM regi, TVS sacerdoti, MVRRA sacrificio, quia Christus Dominus et rex est et sacerdos et sacrificium: quia rex est ipse ait, EGO AVTEM CONSTITVTVS SVM REX

19. fol. 90^a pacis . . . multi uexantur (*l. 23*): *nihil descripsit ed Rom, non omnia restituere contigit Antonio Spagnolo* 31. fol. 90^b. *Initio huius paginae tres lineas describere non ualuit A. Spagnolo, sed nouem ed Rom* 33. uolbuntur V 35. lambiunt: lambire nonnisi e Venantio Fortunato laudat Neue-Wagener Formenlehre iii 252 terraenam V 37. tarsis: terrae ut uid V, et ita ed Rom 40. murra V: fortasse legendum murram ut in ll. 41, 43. eandem munerum interpretationem habes in homilia S. Maximi de Natale Domini (*J. T. S. xvi 162*) 42. fol. 91^a sepolturae V

14. Io. xiv 27 15. Io. xiii 35 16. Matt. v 9 17. Matt. v 3 25. Ps.
lxxi (lxxii) 8 29. ib. 9 37. ib. 10 40. Matt. ii 1, 11 44. Ps. ii 6

45 AB EO, quod sacerdos TV inquit ad eum Pater SACERDOS IN AETERNVM
 SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDHEC, sacrificium apostolus Paulus ait
 QVI SE IPSVM OBTVLIT OBLATIONEM ET HOSTIAM DEO IN ODOREM BONAE
 SVAVITATIS. AVRVM TVS ET MVRRAM: AVRVM rex quaerit, id est
 electa corda, TVS Deus orationes castas et bonas IN ODOREM BONAE
 50 FRAGLANTIAE, MVRRAM ad sepulturam sanctorum, quia PRETIOSA EST
 IN CONSPETV DOMINI MORS SANCTORVM EIVS. ergo undique populi
 ad Christum MVNERA perferunt. sequitur in psalmo ET ADORABVNT
 EVM OMNES REGES TERRAE, OMNES GENTES SERVIENT EI. quod inple-
 tum uidemus; quia ubique nomen Domini Christi adoratur ab omnibus
 55 regibus, dumtaxat | christianis, omnibusque gentibus. sed etsi sunt
 aliqui reges aut gentes aliquae quae nolunt adorare, sicuti et uos Iudei,
 manet cancer aeternus, manet iudicium Dei. DEVS ait propheta MANI-
 FESTVS VENIET, DEVS NOSTER ET NON SILEBIT. qui uenit 'in humilitate
 occultus, ueniet in potestate manifestus': tunc VIDEBIT EVM OMNIS
 60 CARO, id est omnis homo, quia OMNES STABIMVS ANTE TRIBVNAL
 CHRISTI, VT RECIPIAT VNVSQVISQVE PROPRIA CORPORIS PROVT GESSIT,
 SIVE BONVM SIVE MALVM. nam et in ipso psalmo in capite ait DEVS
 IVDICIVM TVVM REGI DÅ ET IVSTITIAM TVAM FILIO REGIS, quia REX
 et FILIVS REGIS ipse est Dominus Christus; et in conclusione psalmi
 65 dicit REPLEBITVR GLORIA EIVS OMNIS TERRA. FIAT, FIAT, et nos
 dicimus consentientes sancto prophetae cum Domini uoce AMEN AMEN,
 hoc est 'Vere, fideliter'. iteratio autem sermonis ista confirmationem
 in se continet ueritatis. Deo gratias. ergo conuincuntur | euidenter
 Iudei.

VIII. Deo iuuante, sic dicamus contra eos non studio nocendi, ut
 eos deuictos perimamus. absit! a nobis spiritale proelium pro hominum
 salute geritur, ARMA NOSTRA NON sint CARNALIA SED FORTIA A DEO.
 itaque saluare eos conuersos quaerimus, et sub regis nostri Christi
 5 dizione conuertere. non ergo litem quaerimus quia ueritatem inquiri-
 mus. militamus enim sub rege pacifico et pacis castra sectamur;
 ideoque eos, ut dixi, uolumus de tempestivis fluctibus erroris ad

48. suabitatis V 50. fraglantiae: ita V quia . . . sanctorum: om per
homoeoteleton ed Rom 53. serbient V 55. fol. 91 b 58. silebit ut uid V:
 tardabit ed Rom 61. propria corporis: scil. non rå ðå råv σώματος sed rå lðia råv
 σώματος 62. in 1º: om V*, supplet V² 65. repleuitur V 68. fol. 92 a

VIII. 3. a V: fortasse per ditographiam post fortia 4. conuersos quaerimus
 V ut uid: cupimus ed Rom 5. dizione: legere non potuit ed Rom 6. enim:
 om ed Rom 7. tempestibis V

45. Ps. cix (ex) 4 47. Eph. v 2 50. Ps. cxv 6 (cxvi 15) 52. Ps. lxxi
 (lxxii) 11 57. Ps. xl ix (l) 3: Cypr. de bon. pat. 22 (413. 22) 58. Cypr. de
 bon. pat. 23 (414. 22) 59. Is. xl 5 60. Rom. xiv 10, 2 Cor. v 10 62. Ps.
 lxxi (lxxii) 1 65. ib. 18

VIII. 3. 2 Cor. x 4

portum salutis perducere, et per atrium ueritatis in domum regalem Domini nostri introducere, ut fiant de inimicis amici et de antichristis christiani. uideant pascuam spiritalem, uideant (si merentur) caeleste 10 conuiuum, uideant dominicam mensam adque sacrorum ministeriorum fulgentem ornatum, et cantent nobiscum cum Dauid propheta sanctissimo dicentes DOMINVS PASCIT ME ET NIHIL MIHI DEERIT: IN LOCO PASCVAE, IBI ME CONLOCAVIT | et iterum QVAM AMABILIA SVNT TABERNA- CVLA TVA, DOMINE VIRTVTVM; CONCVPISCIT ET DEFICIT ANIMA MEA IN 15 ATRIA DOMINI.

Sed huic persuasiōni contendunt impii Iudei maluntque mori quam uinci, dicentes 'Nos unum colimus Deūm, sicut scribtum est in libris Moysi NON ERVNT TIBI DII ALII ABSQVE ME et DOMINVM DEV M TVVM ADORABIS ET ILLI SOLI SERVIES et AVDI ISRAHEL DOMINVS DEVS TVVS 20 DOMINVS VNVS EST. hoc praeceptum' clamant 'patribus datum est, quod nos seruare oportet et conuenit'. quibus dicimus Dicite ergo, cur patres uestri relicto isto uno Deo ad idola conuersi sunt ET FECERVNT VITVLVM IN CHOREB ET ADORAVERVNT SCVLPTILE ET INMV- TAVERVNT GLORIAM SVAM IN SIMILITVDINEM VITVLI MANDVCANTIS 25 FENVM et SERVIEBANT MILITIAE CAELI. aiunt 'Illi uiderint: nos nescimus'. quibus dicimus Audite ergo et discite: ideo ista admonitio a Deo dabatur, ut ad se conuerteret | uniuersos, et populum praecipitem ad peccandum, et semper noua sibimet sacrificia conquirentem, a nefanda intentione frenaret et a uitiis multis uel inlecebris reuocaret. 30 conspirauerant enim iam isti in Aegyptum superstitionibus falsis animum dare et per carnes et diuersas aēpulas luxuriose peccare. inde sibi lucos, inde inlicita sacrificia praeumpsere, inde deos multos, inde falsa figura et inania idola. idcirco uolens eos, ut diximus, Dominus a tantis erroribus ad cultum suae maiestatis conuertere, sacro frequen- 35 ter intonabat eloquio dicens NON ERVNT TIBI DII ALII ABSQVE ME et DOMINVM DEV M TVVM ADORABIS ET ILLI SOLI SERVIES et AVDI ISRAHEL DOMINVS DEVS TVVS DOMINVS VNVS EST. nam ut certo sciatis quae sit fides christiana, nos istum unum Dominum inuisibilem incorporalem inmortalem, sine origine et sine fine, credimus colimus et ueneramur | 40

11. adque . . . ornatum: *om ed Rom* 12. nobicum V* profeta V
 14 fol. 92 b 17. contendunt: *ita V ut uid, sed legendum fortasse contradicunt*
 21. praeceptum V* 23. quur V 26. aiunt: *adiunt V* 28. fol. 93 a uni-
 uersos . . . luxuriose peccare (*l. 32*): *nouem codicis lineas describere non valuit ed*
Rom, omnia fere detexit A. Spagnolo 30. fraenaret V 31. superstitionibus V *ut uid:* *malis fortasse super opinionibus* 33. inde 1^o V: +sibi 2^o *ed Rom*
presumpsero V 39. istum V: *ipsum ed Rom*

13. Ps. xxii (xxiii) 1, 2 14. Ps. lxxxiii (lxxxiv) 1, 2 (2, 3) 19, 20. Exod.
 xx 3 Deut. vi 13, vi 4: *Cypr. ad Fort. 2 (322, 23, 24, 323. 11)* 23. Ps. cv (cv)
 19, 20 26. Act. vii 42, Hier. vii 18 36, 37. Exod. xx 3, Deut. vi 13, vi 4:
cf. l. 19 supra

sanctissimum

aut uidere aut audire mereamini.

- IX. Sed quia studium gerimus praedicandæ ueritatis, ideoque post quæ diximus adhuc diuina sumimus testimonia ut probemus Christum Deum et Dei Filium esse, sicut iam in aliquantis exposuimus, dicit Deus omnipotens Pater ad Moysen in Deuteronomio de Christo Filio
- 5 suo PROPHETAM SVSCITABO ILLIS DE FRATRIBVS EORVM SICVT TE, ET DABO VERBVM MEVM IN OS EIVS ET LOQVETVR AD EOS QVAECVMQVE DIXERO ILLI: ET SI QVIS NON AVDIERIT PROPHETAM ILLVM, EGO VINDICABO. et iterum in Regnorum legimus | libro SVSCITABO MIHI SACERDOTEM FIDELEM QVI OMNIA QVAE SVNT IN CORDE MEO FACIET et in sancto
- 10 euangelio ipse Pater dicit HIC EST FILIUS MEVS DILECTISSIMVS IN QVO BENE CONPLACVI, IPSVM AVDITE. in ueteri testamento ait ET QVI NON AVDIERIT PROPHETAM ILLVM INTERIET DE POPVLQ SVO: in nouo dicit IPSVM AVDITE: uide quam similis sibi sermo et conueniens sit, ut ipse probetur esse PROPHETA qui est Christus Dominus FILIUS Dei. Propheta
- 15 dicitur Patris, sed est Dominus prophetarum; Patris merito propheta, ut auctoris sui praedicator, ceteris autem gratiam prophetiae ipse contribuens. nam sicut Propheta et Angelus uocatur a Patre, ita scribtum est ECCE MITTO ANGELVM MEVM ANTE FACIEM TVAM, QVI PRAEPARABIT VIAM TVAM ANTE TE, OBSERVA EVM ET OBAVDI EI ET NE FVERIS INO-
- 20 BOEDIENS EI, NON ENIM DEERIT TIBI: NOMEN ENIM MEVM EST IN ILLO. unde et ipse Dominus Christus dicebat in sancto aeuangelio | EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI ET NON SVSCEPSTIS M^E: CVM ALIVS VENERIT IN NOMINE SVO, ILLVM ACCIPIETIS. et Dauid dicebat BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI.
- 25 Sed dicit Iudaeus: 'Nos non credimus nec uobis nec aeuangelio.' accedamus ergo paulo latius ad diuinæ Moysi et ceterorum prophetarum litteras, et inde ueritatis regulam perquiramus, et quæ iam protulimus
- fol. 93 b. *Initio huius paginæ nouem lineæ deficiunt eheu in editione nostra, decem in ed Rom*
- IX. 1. praedicande V 2. que V 4. deuteronomio V 5. profhetam V
 6. meum V: eius ed Rom 7. profhetam V 8. fol. 94 a libro V: om ed Rom 9. omnia V: in omnia ed Rom sancto V: om ed Rom 11. conplacuit V in ueteri . . . quam similis (l. 13) V: plura deficiunt in ed Rom
 12. profhetam V 13. sit ut ipse V: ipsis sit ipse ed Rom 14. prouetor V:
 probatur ed Rom profhabta V profhabta 2^o V 15. profhetarum V profhabta V
 16. predictor V prophetiae V 17. profhabta V 18. preparauit V
 19. ante te V: om ed Rom 21. fol. 94 b 22. suscepisti V ut uid 25. dicit
 ... Moysi (l. 26): dicitur (cet om) ed Rom iudeus V 26. profhetarum V
- IX. 5. Deut. xviii 18, 19 8. 1 Reg. ii 35 10. Matt. xvii 5 18. Exod.
 xxiii 20, 21 (*Cypr. Test. ii 5* [67, 18]), Marc. i 2 21. Io. v 43: *Cypr. Test. ii 15*
 23. Ps. cxvii (cxviii) 26: *Cypr. Test. ii 15*

repetamus. dicit beatus Moyses in libro Geneseos inluminatus Spiritu sancto IN PRINCPIO FECIT DEVS CAELVM ET TERRAM: adtende statim illud quia a PRINCPIO coepit et PRINCIPIVM nominauit, quod nos 30 intellegimus Christum, PRINCIPIVM dictum IN quo DEVS Pater FECIT CAELVM ET TERRAM; caelestia pariter et terrena IN Christo fecit, id est in ipsius uirtute qui iubentis imperio ministrabat. IN ipso FECIT qui quod iussum est adinpleuit, quia de Patre scribtum est | IPSE DIXIT ET FACTA SVNT, IPSE MANDAVIT ET CREATA SUNT. omnia ergo IN 35 PRINCPIO, id est in Christo, FECIT DEVS, CAELVM ET TERRAM. nam (quia, licet iam superius dixerimus, iterum repetimus, ne forsitan uestrae aures aperiantur et percipient uerbum Dei), Christus PRINCIPIVM esse manifesta ratione probatur. *ex ipsius* enim persona propheta clamat DOMINVS CREAT ME PRINCPIO VIARVM SVARVM IN OPERA SVA, 40 ANTE SAECVLA FVNDAVIT ME; et iterum ex persona Sapientiae ipse Christus de se dicit per prophetam EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATVRAM. ergo in isto Filio et per istum, sicut saepius dictum est, Deus Pater omnipotens omnia fecit, sicut iterum in psalmo dicebat IN CAPITE LIBRI SCRIBTVM EST DE ME. 45

Sed dicit Iudaeus: 'Ipse qui dixit, ipse et fecit.' cui dicimus: Et quid necesse erat ut diceret, si non erat aliis qui audiret et faceret? numquid sibi | dicebat FIAT.

Sed iterum dicit Iudaeus: 'Ad angelos dixit.' quibus dicimus: Sed non sic refert scribtura FECERVNT ANGELI, sed habet ET FECIT 50 DEVS.

X. Clamat autem Iudaeus et dicit: 'Quomodo dicitis christiani filium habere Deum? numquid filium Deus inuisibilis et incorruptibilis genuit?' quibus iterum respondemus: Sicut Dominus ait EGO DIXI DII ESTIS ET FILII ALTISSIMI OMNES; SI ILLOS DIXIT DEOS et filios Altissimi AD QVOS SERMO DEI FACTVS EST, ET NON POTEST SOLVI SCRIBTVRA, MIHI ait 5 Dominus IRASCIMINI QVIA DIXI FILIVS DEI SVM? SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI, NOLITE MIHI CREDERE; QVOD SI MIHI NON VVLTIS CREDERE,

32. terraena V 34. qui quod V: quidquid ed Rom fol. 95 a 36. id est in Christo V: om ed Rom nam quia . . . dominus (l. 40): sex fere codicis lineas legere non potuit ed Rom 39. prophete ut uid V 42. prophetam V prodibi V 44. sepius V 45. in capite: sc. Gen. i 1 46. iudeus V 48. fol. 95 b 49. iudeus V 50. sic refert . . . genuit (X 2): per sex codicis lineas deficiunt nonnulla in apographo Antonii Spagnolo, plura in ed Rom

X. 1. iudeus V 3. ait . . . omnes partim legit A. Spagnolo, lacunas ego suppleui: nonne dictum est in lege uestra quia ego dixi Dii estis et filii Altissimi carissimi ed Rom 5. solbi V 6. dixit ut uid V 7. quod si V: si autem facio, et si ed Rom

29. Gen. i 1 34. Ps. cxlviii 5 40. Prov. viii 22, 23 42. Eccl. xxiv 3
45. Ps. xxxix (xl) 8 (7) 50. Gen. i 27

X. 3. Ps. lxxxvi (lxxxii) 6 4. Io. x 34-38

VEL OPERIBVS CREDITE. deinde dicimus : Quid uidetur Iudaeis illud quod ait Dauid ex persona sine dubio Christi DOMINVS DIXIT AD ME,
 10 FILIVS MEVS ES TV EGO HODIE GENVI TE? et iterum ex persona Patris dicit ipse propheta sanctissimus Dauid | ad Filium TECVM PRINCIPIO IN DIE VIRTVTIS TVAE IN SPLENDORIBVS SANCTORVM, EX VTERO ANTE LVCIFERVM GENVI TE : quem genuit, uel de quo, dicat Iudeus.

Dicit ergo : 'Creditis quia genuit Deus?' respondemus : Sic pro-
 15 phetae dixerunt, et ita nos credimus. genuit enim, sed ut Deus, inpassibiliter incorruptibiliter ineffabiliter, et *ut* prius dictum est, *spiritus* spiritum Deus *Deum*, sancte diuine genuit, *sicut* decuit Deo generare. genuit Dominus Dominum, lux lucem, splendor splendorem, potens potentem, rex regem, unus unum, solus solum, aeternus aeternum,
 20 uirtus uirtutem, creator creatorem. et haec iam diximus, et dicimus, ut ualemus : ceterum illud inexplicable est et indicibile, quod est Pater et Filius, Filius Patris, Verbum Patris, uirtus et sapientia Patris, in quo et per quem fecit Pater omnia. hoc Verbum intellege Filium Dei, quem misit pro salute mundi, sicut propheta dixit MISIT VERBVM SVVM
 25 ET SANAVIT EOS. | ergo Filius Dei dicitur qui est Verbum Patris : non ut tu carneo et culpabili sensu intellegis, Deum carnaliter nos dicere genuisse. nam audi Eseiam sanctum prophetam de Christo dicentem GENERATIONEM AVTEM EIVS QVIS ENARRABIT? numquid dici uel explicari potest quomodo Pater Filium genererit siue Verbum protulerit?
 30 Dicit Iudeus : 'Volo intellegere quemadmodum ista de Christo credatis.' ad quem dicimus : Audi, scribtum est Patre dicente TECVM PRINCIPIO IN DIE VIRTVTIS TVAE IN SPLENDORIBVS SANCTORVM, EX VTERO ANTE LVCIFERVM GENVI TE. qui dicit TE alium ostendit esse, hoc est secundum a se Filium suum, ad quem dicit TE: TE qui dicit
 35 et sui loquentis et ad quem loquitur duas declarat esse personas. EX VTERO ait ANTE LVCIFERVM GENVI TE: VTERVM hic maiestatis sensum intellege, inenarrabilem plenitudinem profundumque | mysterium Dei, incomprehensibilem sapientiam; ANTE LVCIFERVM GENVI TE uel ante caeli ornatum uel ante Spiritus sancti initium, quia ipse Spiritus sanctus
 40 LVCIFER dicitur, qui lucem ueritatis et bonae fidei mentibus humanis infundit, quique per prophetas aeterni solis Christi ut LVCIFER aduentum saepissime nuntiauit.

8. uidetur V: + dictum ed Rom 11. profeta V fol. 96 a 13. uel de quo ... sicut decuit (l. 17): *dimidiam fere partem legere non ualuit* ed Rom 14. profetae V 16. et ut *scripti*: et V *ut uid* 17. sancte diuine, cf. II 46: sanctae diuinæ *ut uid* V 24. profeta V 25. sanabili V fol. 96 b 27. prophetam V 29. sine V: deus ed Rom 30. dicit Iudeus (iudeus V): *om ed Rom queadmodum ut uid* V 36. sensum V: *fortasse legendum sensu uel sinum* 37. intelligo ed Rom inenarrabile *ut uid* V fol. 97 a 39. ipse: ipse V 40. et bonae: et bone V; *mallem* adque 41. prophetas V 42. sepissime V

9. Ps. ii 7 11. Ps. cix (cx) 3 16. Cf. II 46-50 22. 1 Cor. i 24 Gen. i 1, Io. i 3 24. Ps. cxi (cvii) 20 28. Is. liii 8 31. Ps. cix (cx) 3

XI. Nam iste Dominus Christus Filius Dei multis sanctis et ante uisus est et prius apparuisse dinoscitur; Abrahae et Iacob et Moysi, et filiis Israhel IN COLVMNA IGNIS et NVBIS, de quo Deus Pater dixerat ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM ANTE FACIEM TVAM QVI PARABIT VIAM TVAM ANTE TE; et filio Naue ipse uisus est, cui et dicebat EGO SVM 5 PRINCEPS MILITIAE VIRTUTIS DOMINI. utique et Filius est Patris, et ANGELVS eius dicitur id est nuntius, et PROPHETA et SACERDOS et PVER et ADVOCATVS et VIRTVS et SAPIENTIA et cetera. nam quia Abrahae uisus est, audi scribturam dicentem | VOCAVIT ANGELVS DOMINI ABRAHAM DE CAELO ET AIT, ABRAHAM ABRAHAM NE INICIAS MANVM TVAM 10 SVPER PVERVM NEQVE FECERIS EI QVICQVAM: NVNC ENIM COGNOMI QVIA TIMES DOMINVM DEVUM TVVM ET NON PEPECISTI FILIO TVO DILECTISSIMO PROPTER ME; et quando uenerunt TRES VIRI et apparuerunt sedenti AD ILICEM MAMBRE, unde in sequentibus ita inuenies scribtum quia PLVIT DOMINVS A DOMINO IGNEM ET SVLFVR super duas 15 ciuitates Sodomam et Gomoram. audis quia DOMINVS A DOMINO PLUIT: quis DOMINVS A quo DOMINO, nisi Filius a Patre? nam ipse apparuit et Iacob, et CONLVCTATVS EST CVM EO, unde ait ipse Iacob VIDI DEVUM FACIE AD FACIEM, ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA: utique in figura corporis Christum uiderat quam erat postea suscepturus, cum quo et 20 CONLVCTATVR. nam de Patre scribtum est QVEM VIDIT HOMINVM NEMO NEQVE VIDERE POTEST; et iterum NON POTEST ait ipse Deus Pater HOMO FACIEM MEAM VIDERE ET VIVERE. ipse ANGELVS | DOMINI qui et Christus APPARVIT Moysi in rubo IN IGNE, ipseque dixit EGO SVM DEVS ABRAHAM ET DEVS ISSAAC ET DEVS IACOB: qui dictus est ANGELVS 25 primo DOMINI in igne apparuisse, ipse locutus deinde dicitur et dixisse EGO SVM DEVS ABRAHAM et ISAAC et IACOB. Iesu quoque filio Naue in ripa fluminis stanti AD HIERICO apparuisse refertur ipsum Dominum Christum gladium tenentem IN MANV, cui cum diceret Iesus REX NOSTER ES AN ADVERSARIORVM? ait Dominus ad eum EGO SVM PRINCEPS 30 MILITIAE VIRTUTIS DOMINI. iste est PRINCEPS principatum gerens,

XI. 5. cui: qui V 7. profeta V 9. fol. 97 b uocabit V 10. ne inicias scripsi: ne inficias ut uid V, non extendes ed Rom 11. neque feceris . . . mambre (l. 14): legere non potuit ed Rom 14. ita scripsi: ibi ut uid V 17. quis: quia ut uid V: qui ed Rom 18. et: ei ut uid V 20. et conluctatur scripsi: et conluctatus ut uid V; malis fortasse est conluctatus cum ed Rom 23. fol. 98 a 24. et V: fortasse legendum est 26-28. locutus . . . Iesu quoque . . . refertur: haec quattuor uerba legere non potuit ed Rom 29. rex: ita ut uid V, cf. l. 32 31. principatum gerens scripsi: principatum querens V

XI. 3. Exod. xiii 21 4. Exod. xxiii 20, Mark i 2 5. Ios. v 14 7. Deut. xviii 18: 1 Reg. ii 35: Is. lii 13: 1 Io. ii 1: 1 Cor. i 24 9. Gen. xxii 11, 12 13. Gen. xviii 1, 2 15. Gen. xix 24 18. Gen. xxxii 24, 30 21. 1 Tim. vii 16 22. Exod. xxxiii 20 23. Exod. iii 2, 6 28. Ios. v 13, 14

ipseque REX a Patre CONSTITVTVS, ipso testante et dicente EGO AVTEM CONSTITVTVS SVM REX AB EO.

Nam et in quodam psalmo ex persona ipsius Christi loquentis dicebat
 35 Dauid INMOLA DEO SACRIFICIVM LAVDIS ET REDDE ALTISSIMO VOTA
 TVA, ET INVOC A ME IN DIE PRESSVRAE ET ERIPIAM TE ET GLORIFICABIS
 ME. admonet in istis uersiculis INMOLARI deberi Deo Patri, et se
 INVOCARI | ut auxilietur supplicibus suis; prout diceret 'Redde Patri
 obsequium laudis, et ego tibi p raestab o auxilium; protegentis honora
 40 genitorem, et me inuenies adiutorem'. unde ipse et in sancto
 aeuangelio dicebat EGO HONORIFICO PATREM MEVM ET VOS INHONORA-
 TIS ME.

Nos ergo christiani VNVM, ut diximus, DEV M PATREM credimus et
 confitemur, ET VNVM DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM Filium eius,
 45 quem et lex et prophetae locuti sunt; et per ipsum Deum Patrem
 oramus, et ipsi gratias agimus, quia et ipse Saluator ita nobis mandauit,
 dicens et omnibus credere uolentibus HAEC EST VITA AETERNA VT
 COGNOSCANT TE SOLVM VERVM DEV M ET QVEM MISISTI IESVM CHRISTVM.
 ergo cognoscentes p raecepta saluatoris nostri Christi unum Deum
 50 Patrem per ipsum semper laudemus, CVI EST GLORIA IN SAECVLA.
 AMEN.

38. fol. 98 b supplicibus V 39. prestabo V 41. inhonorasti *ed Rom*
 43. ut diximus V: om (sine lacunae indicio) *ed Rom* 45. profetae V 46. manda-
 bit V 49. precepta V

32. Ps. ii 6 35. Ps. xlix (l) 14, 15 41. Io. viii 49 43. 1 Cor. viii 6:
cf. Symbolum Nicaenum 47. Io. xvii 3 50. Rom. xi 36 etc